DIONYSII LAMBINI MONSTROLIENSIS GRÆCARVM LITTERARVM DOctoris Regij oratio de laudibus litterarum, habita a.d XVII. kalendas Nouemb. in gymnasio Samarobrinensi, pridie quàm nobileis Æschinis in Ctesiphontem, & Demosthenis pro Ctesiphõte orationes inter se contrarias explicare inciperet.

Βασιλῆς τ' ἀγαθῷ, κεφαπερῷ τ' αἰχμητῇ.

LVTETIAE M. D. LXIIII.
Apud viduã Guil. Morelij in Græcis typographj Regij.

DION. LAMBINVS ERRICO Memmio ſupplicum libellorũ in Regia magiſtro S.D.

ORationem noſtram de laudibus litterarum à me nudius tertius habitam cui potius, quàm tibi donabo, Errice Memmi? ſubiungere mihi liceret illud Catullianum, namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas. *Sed longe ſunt hæ cauſæ grauiores, & iuſtiores, quas deinceps ponam. nam & tu ipſe litteratiſſimus es, & pro litteris apud Reges cõtra eorum oppugnatores acerrime propugnare ſoles, & bibliothecam habes maximo pretio coëmtam, omni genere librorum vndique conquiſitorum, & collectorum inſtructiſſimam atque ornatiſſimam. Qua tu quidem, modò ex illa horribili Lugdunenſi peſtilentia, tanquam ex miſerrimo naufragio, aut incendio aliquo ſeruatus, tuíſque tui periculi metu exanimatus reſtitutus teipſum primo quoque tempore tuo more paſces atque oblectabis: ſed tamen prius quàm hinc Platonas, & Xenophontas, & Theophraſtos, & Plutarchos, & ſimileis: illinc poëtarum Græcorũ aceruum, alia ex parte ſcriptores Latinos tibi ante oculos exſtruas, & exaggeres, vnius ſemihoræ ſpatium, ſodes, huius oratiunculæ de earum rerum, quæ tibi cariſſimæ ſunt, laudibus lectioni impertito. Vale. Lutetiæ a.d. xiiij. Kalendas Nouembreis. anno CIↃ. IↃ. LXIV.*

DIONYSII LAMBINI MONstrolienſis Græcarum litterarum doctoris Regij oratio de laudibus litterarum, habita a.d. XVII. Kalendas Nouemb. in gymnaſio Samarobrinenſi.

SOCRATES apud Platonem, auditores, difficile negat eſſe Athenienſeis apud Athenienſeis, aut Lacedæmonios apud Lacedæmonios laudare: ſiquis autem vel Lacedæmonios apud Athenienſeis, vel Athenienſeis apud Lacedæmonios laudabileis eſſe demonſtrare velit, ait eum præſtantem quendam oratorem, & ſingulari dicendi facultate præditum eſſe oportere: ſignificans, opinor, arduũ eſſe ac difficile dicendo conſequi, vt perſona, aut res aliqua quantumuis honeſta ac præclara, iis, qui eam oderũt, laudabilis eſſe videatur. Hac ego difficultate, ne à meo de litterarũ vtilitate ac dignitate apud vos dicẽdi cõſilio deterrear, facit veſter omniũ cõſpectus multo iucundiſſimus, non obſcurè demonſtrans ac declarans ſingularem veſtrum in litteras amorem, flagrantiſſimum diſcendi ſtudium, incredibilem legendorum librorum cupiditatem, ſummam denique in bonis litteris aſſiduè, diligentérque colendis alacritatem. Itaque cùm latiſſimum dicendi campum, tum paratiſſimos ad audiendum auditores nactus, conſtitui hodierno die pauca ex multis, quæ mihi ad dicendum de litterarum laudibus ſuppetunt, ſelecta, breuitérque comprehenſa, apud vos exponere atque explicare. Cùm multæ igitur res, magnęque ab antiquis inuentę, quaſi per manus traditæ ad nos peruenerunt, auditores, tum hoc in primis magnum eſt, quòd eorum munere ac beneficio, quæ artes, quæque diſciplinæ humano generi vtilitatis aliquid afferũt, eas arteis litteris poſſumus conſignare, litteríſque mandare. ceteræ enim res, artéſque ſingulæ, duntaxat (quod in

ipſis eſt) ſuis artificibus, atque inuentoribus eiuſdémue ætatis hominibus ſunt vtiles: litteræ poſteritatis cauſa repertæ, omnium rerum hominibus vtilium ac ſalutarium à veteribus inuentarum cuſtodes, eas ipſas res vniuerſas complectuntur & continent, eas æternas conſeruant, eas cum omni poſteritate communicant, adeò vt omnia antiquitatis erga nos beneficia, quemadmodum ea paullatim & ſingillatim in nos collata ſunt, ita ſenſim iampridem obliuione ſempiterna deleta interiiſſent, niſi litteræ hominum obliuioni ſubſidio fuiſſent. Itaque quot arteis à veteribus repertas, funditus exſtinctas eſſe credibile eſt, vel quòd initiò litterarum cuſtodia ſeptæ non fuerunt, vel quòd, cùm fuiſſent, aut tyrannicis edictis, aut incendiis, aut eluuionibus, aut terræ motibus, & ſimilibus calamitatibus publicis libri, qui eas arteis cõtinebant, abſumti ſunt? Iam artes paullò elegantiores ac liberaliores, eas dico, quas qui conſecuti ſunt, eruditi appellantur, quæ vſque ad noſtram ætatem ſaluæ permanſerunt, quibus rebus conſeruatæ, poſteríſque proditæ ſunt, niſi beneficio ac præſidio litterarum? Quinetiam, quæ ſunt humiliores, & minus elegãtes, minúſque reconditæ, tamen eæ quoque litteris egent, neque ſine litterarum monumẽtis ſuos fineis ſatis commodè tueri poſſunt: quales ſunt ars pingendi, fingendi, cælandi, fidibus canendi, nauigandi, ædificandi, agri colendi, & ſimiles. Quòd ſiqui ex iis, qui has arteis profitentur, litteris non vtantur, tanto ſunt iis, qui in eiſdem artibus exercendis litterarum adiumẽtum adhibent, inferiores, quanto viri pueris antecellunt. Sed, vt ad eleganteis & ingenuas arteis redeam, poſſúntne hæ ſuos fineis ſine litterarũ ope tueri? Philoſophia (vt ab hac potiſſimùm ordiar) omnium artium procreatrix & regina, animorum cultura, dux vitæ, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, quem ſine litteris fructum nobis ferret? immò verò quo pacto à Græcis primò inuenta, à Latinis poſtea vſurpata ac tractata, ſine litteris tot bella, tot incẽ-

dia,tot calamitates effugiſſet, per tot vrbium quaſi cadauera ac funera incolumis ad nos peruenisſet? Quid? medicina, vt illa ad animos ægros ſanandos, ſic ad corporum morbos leuandos comparata, ſi litteris careat, ſuo munere fungi poteſt? Quid? ars numerandi, geometria, muſica ſine adiumẽto litterarum conſtare poſſunt? Quid? poëtica, facultas dicendi, ars diſſerendi, ſcientia rectè loquendi, rectéque ſcribendi, nónne quamuis in ſermone verſentur, ſine litterarum vſu tamen non mutæ ac tacitæ, ſed inanes atque adeò nullæ reperientur? Iam hiſtoria, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, quo tãdem pacto id, quod pollicetur, cuiúſque cauſa inuenta eſt, efficeret ac præſtaret ſine lumine litterarum? Tot hiſtorici Græci, alii toti perierunt, Philiſtus, Theopompus, Ephorº, Calliſthenes, Timæus, Clitarchus, Timagenes, multíque præterea: & item Latini, Cato, Fabius Pictor, Piſo, Cœlius Antipater, Siſenna, Quadrigarius, Seruilius, Nouianus, Aufidius Baſſus, Pompeius Trogus: alij laceri ac mutili ad nos peruenerunt, ex Græcis Polybius, Dionyſius Halicarnaſſeus, Diodorus Siculus: ex Latinis, Salluſtius, T. Liuius, Velleius Paterculus, Cornelius Tacitus, quòd eos à vi & iniuria temporũ ne litterarum quidem vallum & cuſtodia vindicare potuerunt. Quid tot ciuitatũ & rerumpublicarum leges? nónne quamdiu æra, in quibus erant inciſæ, litteríſque conſignatæ, cum litteris ſeruata ſunt, tandiu integræ manſerunt? poſtea quàm illa vel flammis liquefacta, vel temporis vetuſtate conſumta ſunt, hæ quoque litteris vnà conſumtis perierunt? Denique ſi rerum bonarum diſciplinas, arteíſque libero dignas amamus, amplectimur, admiramur: litteras vnà colamus, amplectamur, ſuſpiciamus, & retineamus neceſſe eſt, ſine quibus nulla diſciplina neque memoriæ commendari, neque poſteritati tradi poteſt. Quòd ſi ignoratio rerum ſummopere ciuitatibus & populis omnibus fugienda: ſi ſciẽtia omni ſtudio, omnibúſque corporis & animi viri-

bus paranda est; vt est (nam bonis quidem disciplinis e ruditi atque instituti ciues, legibus carere sine periculo possunt, ipsique sibi sunt leges, quippe qui rectè facere ita didicerunt, vt secus viuere, ne si velint quidem, possint) Si igitur ita est, ciuitatibus & gentibus omnibus litteræ magnopere sunt expetendæ. Ciuicis autem honestis disciplinis eruditos, bonisque artibus excultos, leges non desiderare, argumento est illud omnium sermone vsurpatum, tritum ac celebratum: Ex malis moribus bonæ leges natæ sunt. Leges enim in iniustos, libidinosos, audaceis, sceleratos latæ sunt. Quòd si iustè, si temperanter, si piè viueretur, frustra leges rogarẽtur. Quãto igitur in honore, quantóque in pretio ciuitates litteras habere debent, quibus fretæ ab iis casibus omnibus, quos afferunt & temporũ inclinationes, & corrupti hominum mores, tutæ esse possunt? Atque hinc colligere licet, quàm acerbo odio digni sint, non ij solum, qui multis antè sæculis bibliothecas consultò incenderunt, verumetiam ij, qui nostra, patrúmque nostrorum memoria, cùm plurimùm gratia, atque auctoritate apud Reges valerent, summúmque apud eos locum obtinerent, litteris bellum inferre, litteras funditus delere, litterarũ lumẽ exstinguere, sublatis omnibus ex Gallia typographorum officinis cogitarunt, cùm dicerent à doctis & litteratis viris res nouas quæri, maiorum instituta labefactari, leges receptas, & multorum annorum vsu comprobatas sperni ac negligi: populum eum, qui Regibus dicto audiens sit futurus, eruditum esse non oportere, quoniam (inquiunt) plerumque eueniat, vt docti & litterati ingenio confisi, doctrináque feroces frenum mordeant ac respuant: vnius imperio parêre illiberale & homine ingenuo indignum esse iudicent: denique seruitutis iugum excutere, seséque in libertatem vindicare conentur. O Regum non consiliarios, sed pernicioſos assentatores: ò litterarum, bonarúmque artium non patronos, qui esse debebant, sed iniquissimos sycophãtas:

ò regnorum & rerumpub. non cuſtodes, nec adminiſtratores, vt à Regibus eſſe iubebantur, ſed euerſores, turbines, ac procellas, qui per ſpeciem & ſimulationem Regibus, eorúmque populis conſulendi, ſe ipſi locupletant, Reges ſpoliant, ciuitates expilant, populos vexant, glubunt ac lacerant: criminibus in homines litterarum ſtudioſos cõfingendis, ſuis fraudib⁹, & rapinis, & depeculationibus integumenta atque inuolucra quærunt. Namque ita ſe res habet, vt ex hoc eodem loco vobis audiẽtibus & approbantibus aliquando dixi, auditores: inertes, libidinoſi, flagitioſi, impotẽtes, auari, rapaces, impuri, ſcelerati, impij, & tales ſocietatis humanæ peſtes, litteris & litteratis iniqui atque infeſti ſunt: frugi homines autem, temperantes, honeſti, moderati, liberales, abſtinentes, puri, innocentes, pij litteris fauent, litterarũ ſtudioſos liberalitate & beneficẽtia proſequuntur, doctos plurimi faciunt, venerantur, atque in cælũ ferunt. Quòd autem iſti inſimulant homines eruditos res nouas quærere, mordere aut etiam reſpuere frenum, neque libenter edictis Regiis obtẽperare, longe aliter eſt. Quin cõtrà, homines non inſtituti, omníſque doctrinæ liberalis expertes, id eſt, vno verbo feri: (inter indoctum enim & feram quid intereſt?) ij neque legibus, neque Regibus parêre volunt, niſi malo coacti: docti verò & eruditi, & re vera humani didicerunt, legem ortam eſſe à natura, ſeu potius ab ipſius naturæ auctore ac parẽte Deo: quocirca eum, qui legibus non pareat, gigantũ more cum Deo pugnare. Pręterea perſuaſum habẽt Reges, leges quaſdã eſſe animatas, & loquenteis: Reges Dei optimi maximi nutu atq; imperio populis præeſſe: quare qui Regib⁹ nõ obtemperant, eos Dei immortalis legem, imperiúmque negligere atque aſpernari. Quid igitur in rempublicam moliuntur litterati homines? quid peccant in commoda publica? qua in re ſocietatem humanam violãt? vbi Regum maieſtatem minuunt? Dicam. Futum & fallaciam quorundam hominum populi inſcientia ad quæſtum a-

butentium, suæque auaritiæ ac potentiæ fraudulenta ratione velificantium aperiunt ac patefaciunt: veritatem in latebras ac tenebras demersam, in lucem proferre conantur: antiquam religionem diligenter aiunt esse retinendam: nouarum sectarum inuentores atque auctores aut in ciuitates non esse recipiendos, aut receptos exterminãdos: pontificum & eorum, qui sacris præsunt, luxuriam, auaritiam, ambitionem coërcendam: turpem quæstum & sordem, & iuris nundinationem ex tribunalibus, subselliisque tollendam: longos & tortuosos iudiciorum anfractus in breueis & directas semitas contrahendos: iidem monent concordia ciuium nihil esse optabilius, nihil vtilius, nihil præstabilius: contrà, discordia & bello ciuili nihil horribilius, nihil calamitosius, nihil funestius. Hæc sunt litteratorum hominum peccata: en cur isti litterarum studiosos in crimen & inuidiam vocent. Atqui quod Horatius Flaccus de poëta canit, idem de iis omnibus, qui viuunt in litteris, iure ac verè prædicari potest. *Vatis auarus*

Nõ temere est animus (inquit ille) *versus amat, hoc studet vnũ:*
Detrimenta, fugas seruorum, incendia ridet:
Non fraudem socio, puerõue incogitat vllam
Pupillo: viuit siliquis, & pane secundo,
Militiæ quamquam piger, & malus, vtilis vrbi. hæc omnia litterarum studiosis conueniunt maximè: otio delectantur: libros amant: sumtus profusos oderunt: victu cultúque tenui sunt contenti: de re familiari amplificãda non valde laborãt: in amicos & vicinos officiosi sunt, neminem fœnore trucidant, depositũ non interuertunt, falsum crimen nemini inferunt, somnis maritorum non insidiantur, testamenta falsa non supponunt, non sunt venefici, non sicarij, non paricidæ, non grassatores, non sacrilegi, non ærarij depeculatores. Sed videte, quæso, quàm bene isti regibus consulant: qua via amplitudinẽ, maiestatémque regiam tueri, conseruare, & ornare studeant. Cum populum eruditum esse negant oportere,

volunt

volunt eos non hominibus, sed feris & quadrupedibus imperare, siquidem homines indocti feræ sunt potius, quàm homines. At longè aliter sentiebãt prisci illi Reges ac reip. principes. Pisistratus Athenien sis, quamuis tyrannus, primus Athenis magnam optimorum librorum multitudinem vnum in locum coëgit, ad eúmque locum non modò ciuibus, verùm etiam peregrinis aditum patêre voluit: vt, qui vellent, eorum librorum lectione & meliores fierent, & doctiores: quam bibliothecam ab Athenien sibus postea studiosè auctam & cumulatam Xerxes Athenis potitus ad Persas trãstulit. Longè autem instructissima & refertissima bibliotheca libris vndique conquisitis & collectis à Ptolemæis Regibus in AEgypto comparata est: quæ bello Alexandrino, dum vrbs capta à militibus diripitur, nõ oblato, sed fortuito incẽdio cõflagrauit. Sed quid Reges antiquos commemoro? Franciscus primus, optimè de litteris meritus, nostri collegij auctor, disciplinarum & litterarum cognomine parens, nónne immensa pecunia effusa, si in re tam pręclara hoc verbo vti decet: sed tamẽ nónne ille innumerabili pecunia insumta libros manu scriptos ex vltima Gręcia arcessiuit? Latinos ex Italia, ex Germania, ex hac ipsa Gallia petitos coaceruauit? bibliothecámq; ex iis libris locupletissimã, atque instructissimã ad Fõtembleum concinnauit? Pontifices Romani, quorũ maximè interest religionem à patribus acceptã, integram, atque intactam manere, nónne bibliothecam librorum omnis generis disciplinas continentium plenissimam in basilica D. Petri construendam curarunt, eámque omnibus omnium nationum hominibus patêre iusserunt? Atqui neque Pisistratũ, neque Ptolemæos, neque Franciscum primum, neque ceteros Gallię Reges, neque põtifices Romanos eæ causæ, propter quas isti litterarum hostes nostris Regibus litterarum interitum persuadere conati sunt, cùm essent falsæ, deterruerunt quominus libros vndique comportatos & coëmtos & ciuibus, &

peregrinis legendos prębebant. Nam & illi intelligebãt, & noſtri Reges vident, Regium eſſe nonſolùm ſuorũ ciuium incolumitati, ac fortunis, verùm etiã, & multoquidẽ magis, ingeniis atque animis cõſulere ac prouidere. Statuunt regnũ illud florẽtiſsimũ ac beatiſsimũ habẽdũ, quod nõ modò viris fortib⁹ ac locupletibus, ſed etiã eruditis hominibus, ac ſapientibus abundet. At etiã Reges ipſos cenſent iſti indoctos eſſe oportere, vt, cùm cæci Reges cæcorum populorum duces fuerint, vtrique ſcilicet in foueam corruant. Quanto rectius Socrates? qui apud Xenophontem queritur hominem bobus, capris, ſuibus, ouibus præeſſe: hominibus autem non aliquod animal homine præſtãtius, ſed hominem præfectũ eſſe: ſignificans, opinor, Regem, cúmque, qui in homines imperium ſit habiturus, tanto iis, quibus præfuturus atque imperaturus eſt, conſilio, ſapientia, virtute antecellere debere, quanto bubulci bobus, capris caprarij, ſubulci ſuibus, paſtores ouibus antecellunt. Quod tamen ſæpenumero longe aliter vſu éuenit, idque magno populorum malo. hinc enim bella iniuſta, temeréque ſuſcepta: hinc inſignes populorum calamitates: hinc maximarum ciuitatum, florentiſsimorúmque regnorum interitus & euerſiones. Præclarè igitur & planè diuinitus, vt multa alia, idem Socrates ait apud Platonem, tum demũ beatas fore ciuitates, cùm aut ciuitatum rectores, erunt ſapientes: aut ſapiẽtes, ciuitatum rectores. quod vereor equidem ne nunquam futurum ſit. Verumtamen, vt de futuris dicere omittamus, quãdo ea, vt ait Flaccus, *Caliginoſa nocte premit deus*: Multi olim ciuitatum principes, & rerumpubl. moderatores docti, ſapientéſque fuiſſe dicuntur. Solonem, qui Athenienſibus leges ſcripſit, eas, quibus, quandiu ſteterunt, vſi ſunt, quíque Areopagitas conſtituit, & præſtantiſsimum philoſophum, & bonum poétam, & ſummum oratorem fuiſſe conſtat. Periclem, qui Athenis diu præfuit, princépſque publici conſilij annos aliquot fuit, hoc ceteris oratoribus præſtitiſſe di-

cit in Phædro Platonis Socrates, quòd Anaxagoręfuerit auditor. Epaminondas Thebanus, ſummus vir vnus Græciæ, doctiſsimus fuit, cùm à Lyſide Pythagoréo fuiſſet inſtitutus. Dion, qui patriã ſeruitute liberauit, a Platone fuit eruditus, eiúſque præceptis & documentis imbutus atque excitatus rem tantam & alacrius ſuſcepit, & prudentius adminiſtrauit, & conſtantiſsimè ad exitum perduxiſſet, niſi fortuna, ſiue potius amicorum perfidia eius conſiliis & conatibus obſtitiſſet. Philippus Rex Macedonum litteratos, & doctrina præſtanteis viros cùm ampliſsimis præmiis inuitabat, tum incredibili humanitate & liberalitate complecti ſolebat. Alexander Magnus eius filius & doctis hominibus inter armatos ſtipatus incedebat, & philoſophorum, poëtarúmque libros ſtudioſè lectitabat. Superiori Africano ita familiaris & carus fuit Ennius, vt in ſepulcro Scipionum è marmore fuerit conſtitutus. M. Fuluius eodẽ Ennio comite cum AEtolis bello geſto & confecto, Martis manubias Muſis conſecrauit. Is, qui poſtea fuit, Africanus & Lælius cum Lucilio poëta ſoliti erant *diſcincti ludere, donec Decoqueretur olus*, vt teſtatur Flaccus. L. Lucullus etiam in caſtris philoſophos audiebat: nauigandi tempus partim in percunctando à peritis, partim in rebº aliorum geſtis legendis conſumebat. M. Marcellus captis Syracuſis fertur edixiſſe, vt Archimedi, homini ſummo ingenio, ſummáque doctrina parceretur, quamuis ab eo vrbis illius oppugnatio in longũ tẽpus producta fuiſſet: eúmque cùm interfectum audiuiſſet, permoleſtè tuliſſe. Pompeium Magnum ne occupationes quidem rei militaris à ſtudio legẽdi & audiendi auocabãt. Idem Theophanem Mytilenæum, ſcriptorẽ rerum ſuarum in cõcione militum ciuitate donauit. Iulius Cæſar in Galliis & Hiſpaniis bella difficilia, & periculoſa gerens, cõmentarios rerum ſuarum ſcribebat: idem rerum potitus, iis maximè, qui ingenio & doctrina excellebãt, ignoſcebat: quod cùm ex aliis multis M. Tullij epiſtolis, tum ex

ea, quæ ad Cæcinam missa est, cognoscere licet: in qua ita scriptum est, *Quare ad eam sidem, quam extra ordinem de te ipso habemus propter dignitatem & virtutem tuam: (hæc enim ornamenta sunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua propter eximium ingenium, summámque doctrinam: cui mehercule hic, cuius in potestate sumus, multum tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono, quo delectatur, se violatum putaret: quod ipsum lenitur quotidie, significatúrque nobis ab iis, qui simul cum eo vivunt, tibi hanc ipsam opinionem ingenij apud ipsum plurimum profuturam.* Cæsar Augustus simulatque in hibernis, aut æstiuis legiones & cohorteis collocarat, studio poëtico sese reficiebat, atque oblectabat. testem quæritis? testem producam locupletem. audite Flaccũ his versibus Musas alloquentem.

Vos Cæsarem altum militia simul
Fessus cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatus antro.

Sed en tibi alij exoriuntur, qui litteras obesse memoriæ dicunt. homines enim litteris confisos, minus memoriæ studere, quia plerunque accidat, vt litterarum fiducia diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. quam Druidum opinionem fuisse à Cæsare traditum est. Ego verò quorumcunque ea fuerit, falsam esse arbitror. nam memoriam adiuuant litteræ, si litteris vtaris, & si quæ litteris mãdata sunt, iterum atque iterum legendo memoria repetas, quemadmodũ Catonem apud M. Tullium contra eos, qui sepulcrorũ inscriptionibus legendis memoriam perdi putabãt, dicere memini. sic enim ille: *Nec sepulcra legens vereor* (inquit) *ne perdam memoriã, sed iis ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum.* Quod idem de litteris dici potest. litteris enim legendis redimus in memoriam eorum, quæ litteris consignata sunt. O præclarum igitur, & deorum munere nobis concessum litterarum bonum, quo quicquid meminisse volum⁹, memoria tenere possumus. Quid quòd earumdem præsidio vsi & cum absentibus & cum mor-

tuis loquimur? Quid enim aliud facimus, cùm absenteis certiores facimus, si quid sit quod eos scire vel nostra, vel ipsorum interfit? cùm Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Homerum, Sophoclem, Herodotum, Thucydidem, Demosthenem, Isocratem, ceteros Græcos: cùm Plautum, Lucretium, Varronem, M. Tullium, Sallustium, T. Liuium, Virgilium, Horatium, Plinium, ceteros Latinos legimus? Quare siquis vnquã existet (quod Deus omen auertat) tam ferus, importunúsque natura, vt velit: tantum opibus, robore, & viribus pollens, vt possit litteras ex hominum vita tollere: idem vna opera homines dimidia ex parte infanteis ac mutos reddet. dimidia autem ex parte muti sunt ij, qui cum viuis & præsentibus duntaxat loqui possunt, vt qui litteras nesciũt. Sermones enim præsentium cum præsentibus ad paucos omnino pertinẽt, exiguísq; terminis circumscribuntur, & tãdiu quãdiu homines viuũt vsurpantur. at mortuorũ cum viuis colloquia ad eos omneis, qui intelligunt, perueniunt & pertinent, quamtumuis longo temporum & locorum interuallo disiunctos, eadémque in sempiternum tempus propagantur & permanãt, si modò, vt quidam philosophi existimarũt, mundus futurus sempiternus. Quid quòd iidẽ isti, qui litteras exstinguere cupiũt, animorum pabulum hominibus eripere conantur? Qua enim alia re animi hominum pascuntur, quàm libris ac litteris? Nõ enim omnes possunt esse Scipionis illius, qui primus Africanus appellatus est, similes, quem dicere solitum scripsit Cato, (vt refert M. Tullius) nunquã se minus otiosum esse, quàm cùm otiosus, nec minus solum, quàm cùm solus esset. Magnifica verò vox (inquit M. Tullius) & magno viro & sapiente digna: quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum, vt neque cessaret vnquam, & interdum colloquio alterius non egeret. ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inuestigationéque earum rerum, quas cogitando cõsequebatur, nec otiosum, nec

ſolùm vnquam fuiſſe. Sed non omnes, vt dicere cœperã, tantum roboris habent, vt cogitatione tacita vel à ſolitudine abſtrahantur, vel ægritudine leuẽtur. Itaque magni viri vel importunitate & ſæuitia tyrannorum è patria eiecti, vel aduerſæ fortunæ vi atq; iniuria exagitati ad litteras tanquam ad portũ, atque ad aram cõfugiunt: à litteris incommodorum ſuorum ſolatium ac leuamẽtum petunt. Atque, vt omittã Græcos, Thucydidem, Xenophõtem, Demetrium Phalereũ, ceteros, qui remoti à negotiis publicis ſeſe ad legendũ, ſcribendúmq; cõtulerunt, M. Tullius patria à Cæſare oppreſſa, cùm & defenſionum laboribus & ſenatoriis muneribus non ſua voluntate, ſed culpa temporum expeditus eſſet, aberrationẽ à moleſtiis & angoribus ſuis nõ aliũde quàm à litteris ſumebat: & tum denique, ſerò fortaſſe, ſed aliquãdo tamen, intelligebat quanto iucundior ac beatior eſſet ea vita, quæ in litteris traduceretur, quàm quæ in rep. gerenda conſumta & contrita eſſet: quàm miſera eſſet ambitio: quàm leuis atque inanis eſſet ea gloria, quæ ex temeritate multitudinis, ex inconſtantia vulgi, ex vento populari penderet. Itaque hoc vno fere ſolatio in reip. calamitate, & cõmunibus malis vtebatur. quod cùm in aliis locis, tum in epiſtola quadam ad Curiũ declarat his verbis, *Sed quod tu, cui licebat, pedibus es conſecutus, vt ibi eſſes, vbi Pelopidarum nec facta, nec nomẽ audires: nos idem propemodũ conſequimur alia ratione. Cùm enim ſalutationi nos dedimus amicorum, quæ fit hoc etiam frequentius, quàm ſolebat, quòd quaſi auem albam videntur bene ſentientem ciuem videre, abdo me in bibliothecam. Itaque opera efficio tanta, quanta fortaſſe ſenties.* Iccirco & antequàm exſulij cauſa ſolum vertiſſet, bibliothecam habebat libris refertiſsimam, atque ornatiſsimam: & poſtquàm in patriam ab exſulio vna pene dicã, totius Italiæ voce reuocatus eſt, domo ſumtu publico de pontificum ſententia ædificata, nihil ſibi prius curandũ eſſe duxit, quàm vt, quoniã ea bibliotheca, quam antea habuerat, vnà cum domo à Clodianis direpta & incenſa

fuerat, aliam nõ minus multis libris instructã repararet. Iã Platonẽ philosophorũ principẽ memoriæ traditũ est, cùm esset re familiari admodũ tenui & peranguſta, treis tamẽ Philolai Pythagorei libros decẽ denariorũ millib⁹, id est octingẽtis fere aureis nostris esse mercatũ. Aristotelẽ eius discipulũ accepim⁹ paucos Speusippi libros post eius mortẽ tribus talẽtis Atticis, id est duobus fere aureorum nostrorum millibus comparasse. Audite quid optet Horatius Flaccus, cùm se vandelam, rugosum, vt ait, frigore pagum, recepit.

Sit mihi quod nunc est: etiam minus, vt mihi viuam
Quod superest aui, si quid superesse volunt dij:
Sit bona librorum, & prouisæ frugis in annum
Copia. Ecce, non optat agros latos & fertileis, & fructuosos cum optimis & nitidissimis villis: non optat tecta laqueata, nõ pauimenta marmorea, nõ Attalica, aut Babylonica peristromata, non gazas Persicas, non præturas, non consulatus: sed librorum, & frugis in annum prouisæ copiã. Idem alio loco quid ait se ab Appollinẽ precari? *non opima Sardiniæ segetes feraceis: Non æstuosa grata Calabriæ Armenta: non aurum, aut ebur Indicum: Non rũra, quæ Liris quieta Mordet aqua taciturnus amnis* quid igitur? *Frui paratis & valido mihi Latoe dones, &, precor, integra Cum mente, nec turpem senectam Degere, nec cithara carentem.* Quid sibi vult illud, *cithara carentem?* mea sententia, libris & litteris carentem. Cùm igitur hæc ita sint, auditores, reliquum est, vt, prius quàm dicendi finem faciam, vos memores moneam, currenteis incitem, & cohorter, vt tot Regum & principum, tot doctissimorum & clarissimorum virorum institutum, iudicium, auctoritatẽmque secuti, litterarum studia, quemadmodum cœpistis, cõlere pergatis: animósq; inducatis, nihil vos homine dignius, nihil vestris rationibus vtilius, nihil ad omne vitæ genus accommodatius facturos, quàm si in litteris operam plurimã, diligentiámque maximam cõferatis. Nam siue ad rempubl. accedetis, siue priuati ætatẽ agere maletis: siue

rei militaris ſtudio ducemini, ſiue forenſis ſtrepitus vos iuuabit magis: ſiue vos mercatura capiet, ſiue agricultura vobis erit iucundior: ſiue potentium virorum & Regum amicitias coletis, ſiue rebus veſtris contentos domi viuere dulcius eſſe ducetis: denique quiſquis erit vitæ veſtræ color, quæcunque perſona, quicunque ſtatus, ſic habetote, litteras vobis maximo vſui, maximæque voluptati ſemper futuras. Iam in omni vita veſtra ſpero, vos multa ſecunda, multáque læta atque optata viſuros, opto quidē certe. In rebus igitur veſtris ſecundis litteræ vobis erunt magno ornamento, magnúſque ex litterarum ſtudio ad proſperitates veſtras ſolidiſsimorū liquidiſsimorúmque gaudiorum cumulus accedet: ſed ſiquando, vt ſunt humana, vultum pro vſitata inconſtātia, fortuna mutabit (quod abominor equidem, optóq; vt perpetua ſit animorum, temporúmque veſtrorū trāquillitas, æquabiliſſque ſecundo vitæ ſine vlla offenſione curſu veſtra felicitas) veruntamen quando ea condicione nati ſumus, vt omnibus telis fortunę propoſita ſit vita noſtra, ſi fortè eueniet, vt ſuo iure in vos vtatur inuida fortuna, hic eſt portus ab omnibus illius ventis tutiſsimus ac munitiſsimus, vbi conſiſtatis & cōquieſcatis: hoc receptaculum, quò confugiatis: hæc arx, vnde illius tela propulſetis: hoc propugnaculum, quo aduerſus omneis illius quantumuis acreis impetus vtamini: hoc præſidium firmiſsimum, hic murus validiſsimus, planéque aheneus. Quare hoc vobis dum licet, vel ad dubia difficiliáque tempora ſubſidium ac perfugium, vel ad res ſecundas inſtrumentum atque ornamentum multo antè comparate.